


REFORMATIO ANGLIAE

EX DECRETIS REGINALDI  
POLI CARDINALIS,  
SEDIS APOSTOLICAE LEGATI,  
ANNO M. D. LVI.



ROMAE, M. D. LXII.

Apud Paulum Manutium Aldi F.

REFORMATIO ANGLIÆ,  
EX DECRETIS REGINALDI  
POLI CARDINALIS,  
SEDIS APOSTOLICÆ LEGATI,  
ANNO M. D. LVI.

REGINALDVS, miseratione diuina, sanctæ Mariæ in Cosmedin sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis, Polus nuncupatus, ad Serenissimos Philippum, & Mariam, Angliæ Reges, fidei defensores, & ad uniuersum Angliæ regnum, sanctissimi Domini nostri Papæ, & Sedis Apostolicæ de latere Legatus, ad perpetuam rei memoriam.

Cum felicitatis recordationis Iulius Papa III. post allatum ei nuntium, Serenissimam Mariam, Henrici VIII. Regis filiam, tum Angliæ Principem, quæ semper in recta fide, religioneq; firmam sese, atque constantem præstitisset, summo consensu, atque una omnium uoce Reginam declaratam fuisse, in magnam spem adductus esset, fore, ut hoc regnum ad sanctæ catholicæ Ecclesiæ unionem, a qua complures annos separatum fuerat, reuocaretur; ut id quamprimum fieret, nos, pro pastoralis suo officio, & paterna caritate, suum, & Apostolicæ Sedis Legatum de latere ad ipsam Mariam Reginam, & uniuersum hoc regnum misit. quod onus,

A ii licet

## R E F O R M A T I O

licet humeris nostris impar, tamen, ut eius mandatis obediremus, diuino fauore, & gratia freti suscepimus, atque eo promptius, quod etiam debita erga patriam caritas ad id nos impellebat: ac Dei quidem in primis benignitate, qui populum hunc misericordiae suae oculis respicere dignatus est, tum Serenissimorum Mariae Reginae, & Philippi Regis, quem illi matrimonio coniunctum Deus in hac praecleara & sancta actione adiutorem esse uoluit, & ad quem etiam idem Iulius nos Legatum postea declarauit, studio, & opera, summaque erga ipsum Deum pietate effectum est, ut hoc regnum ad unitatem Sanctae catholicae Ecclesiae, & Romani Pontificis obedientiam rediret: cumque postmodum, eodem Iulio primum, deinde Marcello II. felicitis recordationis, hac uita defunctis, Reuerendissimus dominus Ioannes Petrus Carafa, Episcopus Ostiensis, ad summum Apostolatus apicem assumptus fuisset, Paulus III. nuncupatus, quem Deus Ecclesiae suae diu seruet incolumem; Sanctitati eius placuit, ut in hoc legationis munere perseveremus, ut ea, quae iam in eiusdem unitatis negotio confecta erant, magis stabilirentur. utque Ecclesia haec Anglicana, quae ob praeteriti schismatis calamitatem in doctrina, & moribus ualde deformata esset, ad ueterum patrum, & sacrorum canonum normam reformaretur: Nos igitur, tam pia Sanctitatis eius uoluntati obedire cupientes, pro legationis nostrae munere ad ipsum reformationis opus nobis incumbendum esse statuimus. Cumque, nostro hac in re consilio cum non nullis Episcopis communicato, cum ipsis contuliffemus, qua ratione id facilius, & commodius effici posset: uisum est, uniuersos  
huius

huius regni Episcopos cōuocari oportere, qui & de abusibus nos admonerent, & de eorum remediis nobiscum simul consultarent. itaque tum ob hanc causam, tum ut eorum bonorum, quæ superiorum temporum iniuria ab Ecclesiis ablata, ipsorum Serenissimorum Regum pietate nunc eis restituta sunt, ratio quædam & dispositio ad Dei gloriam, & Cleri, ac populi utilitatem constitueretur, hoc potissimum tempore, quo in hac regia Londini urbe ad Parlamentum Episcopi totius regni, & uniuersus Clerus prouinciæ Cantuariensis congregati essent, Serenissimis Rege & Regina pro sua pietate id ualde probantibus, Synodū Episcoporum, & reliqui huius regni Cleri, qui prouincialibus Synodis de iure, uel de consuetudine interesse consuevit, bo. me. Othonis, & Othoboni, aliorumq; sanctæ Sedis Apostolicæ in hoc regno Legatorum, prædecessorum nostrorum, exempla secuti, auctoritate Apostolica, nobis in hac Legatione, qua fungimur, concessa, conuocauimus, & celebrauimus. In qua Synodo postquam omnia fere, quæ ad ipsorum bonorum Ecclesiasticorum dispensationem pertinerent, constituissimus, ad ea in reformationis causa constituenda, quæ magis necessaria uidebantur, nos conuertimus, eo quidem maiore cura, & studio, quòd eius Sanctitas litteris, & ad nos, & ad uniuersos Episcopos scriptis, ad id uehemèter hortata est: & ad sanctorum patrum instituta, quantum ratio & infirmitas præsentis temporis pateret, proxime accedentes, cum totius Synodi consilio & assensu ea, quæ in sequentibus decretis continentur, Deo adiuuante statuimus, atque decreuimus. Vniuersos igitur, & singulos huius regni Archiepiscopos, Episcopos, & ceteras ecclesia-

## R E F O R M A T I O

ecclesiasticas personas in Domino magnopere hortamur, eisque eadem auctoritate Apostolica iniungimus, ut has constitutiones, quatenus ad eorum quemlibet respectiue pertinent, diligenter obseruent. eisdemque Archiepiscopis & Episcopis; reliquisque Ecclesiarum Prælati mandamus, ut eas a quibuslibet, qui suæ iurisdictioni subsunt, obseruandas curent; inobedientes, & contumaces per censuras ecclesiasticas, & alia iuris remedia, inuocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, compescendo: irritumque, & inane decernimus, quidquid secus super his a quoquam fuerit attentatum. Verum, quia difficile esset præsentis litteras ad singula loca deferri, ad quæ mitti oportet; uolumus, & auctoritate Apostolica decernimus, ut transumptis earum, sigillo alicuius personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, ea fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus, si essent exhibitæ, uel ostensæ, adhiberetur. Atque, ut hæc decreta, & constitutiones ad singulorum notitiam deducantur, uniuersis locorum Ordinariis eadem auctoritate Apostolica præcipimus, ut ea per se, uel per alios in suis Ecclesiis publicent, seu publicari faciant, quæ post publicationem ipsam eos, ad quos pertinent, perinde arceant, ac si eis personaliter intimatæ fuissent.

Decretum

## DECRETVM PRIMVM.

De gratiis Deo pro reditu huius regni ad Ecclesiæ unitatem in Missarum celebratione quotidie agendis, deque eius rei memoria quotannis celebranda.

C V M totius deformationis Ecclesiæ in hoc regno, & omnium malorum, quæ plurima superioribus temporibus acciderunt, causam merito agnoscamus hinc ortam esse, quòd ab unitate, & doctrina fidei Ecclesiæ catholicæ recedentes, auctoritatem, & obedientiam Pontificis Romani, Christi Vicarii, & successoris Petri, pro cuius fide, ne deficeret, ipse Christus orauit, reliquimus, ad quam nunc immensa Dei misericordia post multos opinionum errores, & diuturnam uexationem reuersi sumus: ne tanti beneficii immemores, & ingrati uideamur, & ut initium faciamus a diuino auxilio implorando, ut hoc ipsum beneficium in dies magis confirmet, & hanc in nobis fidem seruet, & adaugeat, hoc primum cū præsentis Synodi a pprobatione statuimus, & decernimus, ut per uniuersum hoc regnum in omnibus dierum dominicorum, & festiuorum, præterquam de festo duplici maiori, Missarum celebrationibus post alias collectas infrascripta etiam dicatur, quæ in missalibus hic posthac imprimendis inseri curabitur.

Cum autem bo. me. Othobonus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & in his partibus Apostolicæ Sedis Legatus, cum uniuersis regni Prælatis, prout in eius constitutionibus legitur, pie fanciuerit, ut pro pace, huic regno post uarias dissensiones, & intestina bella,  
quibus

## R E F O R M A T I O

quibus uexatum fuerat, restituta, quotannis per uniuersum regnum solennes fierent processiones, in quibus populus Deo de beneficio pacis accepto gratias ageret, & pro eiusdem cōseruatione preces effunderet; Nos, prædicti Cardinalis, & Legati tam piæ constitutionis exemplum secuti, statuimus, ut singulis annis in omnibus huius regni ciuitatibus, oppidis, & uicis in festo Sancti Andreae Apostoli, quo die huius regni cum Deo atque eius Ecclesia pax, & recōciliatio facta est, processio solennis celebretur, in qua uniuersi cuiusque loci tam Ecclesiastici, quàm sæcularis ordinis Christi fideles conuenientes tam insignis a Deo accepti beneficii memoriam renouent, seque eleæmosinis, & aliis piis operibus gratos ostendant: utq; eo ipso die in Ecclesia, unde processio ducetur, inter Missarum solennia concio ad populum habeatur, qua huius solennitatis causa exponatur, uel, ubi deerit qui concionetur, homilia, quæ de hac re edenda curabitur, per Parochum plebi recitetur. Singuli autem locorum Ordinarii operam dabunt, ut hoc decretum in omnibus suæ iurisdictionis locis sub pœnis eorū arbitrio irrogādis seruetur.

## D E C R E T V M II.

De constitutionibus, & dogmatibus, librisq; recipiendis, reiiciendisue, & ut ius canonicum publice doceatur.

QVIA uero, post eiectam Romani Pontificis, & Apostolicæ Sedis obedientiam, ecclesiasticarum etiam legum auctoritas sublata est; atque ex eo falsi doctores admitti,

admitti, & audiri, ac libri corruptæ doctrinæ passim legi cœperunt, quibus populus uariis erroribus in doctrina fidei, & maxime sacramentorum, quæ precipua sunt Christianæ religionis fundamenta, infectus est; simulq; honestas uitæ & Cleri, & populi, & reliqua omnia, quæ ad rectam Ecclesiæ disciplinam spectant, plane deprauata sunt: cum eiusdem Synodi approbatione, omnia sacrorum tum generalium, tum prouincialium a sede Apostolica receptorum Conciliorum decreta, & Romanorum Pontificû constitutiones, ite Ecclesiasticas leges, in hoc regno canonicè editas, quatenus per præsentis Synodi decreta immutatæ non sint, in pristinum, atque eundem, in quo ante schisma uigebant, locum, uim, & usum reponimus, ac restituimus: & ut hæc ab omnibus, ad quos pertinet, religiose, sancteq; obseruentur, transgressoresq; secundum canones ipsos, prædictasq; constitutiones puniantur, atque, ut ipsum ius canonicum, uti antea, publice doceatur, statuimus, & mandamus.

Cum uero per eas cõstitutiones, quas bo. me. Otho, & Othobonus, olim in hoc regno Sedis Apostolicæ Legati, itemq; Cantuarienses Archiepiscopi, in prouincialibus Synodis pro tempore edidere, iis, quæ ad Clerum, & populum huius regni in doctrina & moribus recte instituendum, & conseruandum pertinent, specialiter prouisum sit: ideo, ne quis possit in his minus obseruandis ignorantia excusationem prætere, statuimus, ut non solum Archiepiscopi, Episcopi, Decani, Archidiaconi, officiales; & ceteri omnes Ecclesiasticâ iurisdictionem exercentes, dictas constitutiones, & eas item, quæ hac Synodo latæ fuerint, habeant, sed etiam

B reliqui



## R E F O R M A T I O

reliqui, quibus animarum cura commissa est, præter facrorum bibliorum uolumen ueteris editionis, in latinum uersum, & alios libros ad munus suum fungendum necessarios, easdem constitutiones habere, & diligenter legere, & si quid dubii in iis, quæ ad earum intelligentiam pertinent, occurrerit, peritiores consulere, & ex iis, quæ populum nosse oportet, declarare, & exponere teneantur, sub pœna Ordinariorum arbitrio iis, qui aliter fecerint, irroganda.

Ne autem prauæ doctrinæ librorum lectione populus posthac corrumpatur, iuxta litteras Apostolicas, quæ quotannis in die Cenæ Domini Romæ publice recitari consueuerunt, omnes, qui hæreticorum libros, seu alias quomodolibet de fide suspectos, non impetrata a Sede Apostolica licentia, legant, aut habeant, aut imprimant, aut in hoc regnum importent, aut uendant, aut publice, uel occulte defendant, ac laudent, quocunque nomine & prætextu id fecerint, damnamus, & anathematizamus, atque, ut omnibus pœnis contra eos latis puniantur, mandamus: Statuentes etiam iuxta generale ultimi Lateranensis Concilii decretum, ne quis posthac in hoc regno librum aliquem, seu aliud quoduis scriptum, sub pœnis in eo decreto contentis, & aliis, prout delicti ratio exegerit, grauioribus, imprimere, seu imprimendum curare audeat, nisi prius per loci Ordinarium, uel per alium, seu alios ab ipso Ordinario ad eam rem deputandos, diligenter lectum, & examinatum, & per eius, siue eorum manus subscriptionem gratis apponendam, approbatum fuerit.

Omnes uero libros, siue traditiones, ad fidem & Ecclesiasticam disciplinam spectantes, quas Sancta Romana Ecclesia

Ecclesia ad hanc diem probauit, ac recepit, seu post-hac probabit; & recipiet, cum omni pietatis affectu, & reuerentia suscipimus, & amplectimur; utq; ab omnibus aliis simili obedientia, & ueneratione suscipiantur, sub canonicis censuris, & poenis statuimus.

Ut autem, omni superiorum temporum errore sublato, populus sciat, quam doctrinam sequi, quam fugere debeat; cū eadem hac Synodo, iuxta regulas & dogmata sanctorum patrum, omnem eam fidem, quam Sancta Romana & Apostolica Ecclesia, omnium Ecclesiarum mater, & magistra, tenet, & docet, reuerenter suscipimus, & amplectimur; idemq; omnibus faciendum, & aperte profitendum esse decernimus: ac secundum generalis Concilii sub fe. re. Innocentio Papa III. celebrati, & aliorum Conciliorum, & Romanorū Pontificum decreta, & traditiones, ipsasq; litteras Apostolicas, quæ in die Cenæ Domini legi solent, omnem hæresim aduersus hanc sanctam, orthodoxam, & catholicam fidem se extollentem, &, quidquid ab ea alienum est, damnamus, & omnino reiicimus: Omne dogma, quod cum eadem fide pugnat, seu non consentit, credi, practicari, doceriue prohibemus, ac uetamus: Vniuersos cuiuscunque nominis ac generis hæreticos, qui aliter credunt, tenent, ac docent, quàm eadem Romana Ecclesia credit, tenet, ac docet, damnamus, & anathematizamus: Omnes item censuras, & poenas, contra hæreticos & eorum fautores latas, nec non cōtra Ordinarios, & ceteros omnes, ad quorum munus hoc spectat, in extirpandis hæresibus negligentes, innouamus, atque omnino exequi præcipimus. Hortamur autem, & per uiscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi

B ii      obtesta-

## REFORMATIO.

obtestamur omnes , qui superiori tempore in errores aliquos lapsi sunt, nec dum resipuerunt, ut ab eis recedere, & ueritatē agnoscere, atque amplecti uelint; qui uero Dei gratia catholicam fidem retinuerunt, uel ad eam reuersi sunt, ut perpetuo in eadem perseuerent. Verum, quia in iis, quæ ad doctrinam Capitis Ecclesiæ & sacramentorum pertinent, hic maxime erratum est; ueram huius doctrinæ traditionem, quæ in octaua generali Synodo Florentiæ sub se. re. Eugenio Papa III. celebrata, breuiter, & dilucide explicata est, hic adscribendam censuimus.

Definimus, sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in uniuersum orbem terræ primatū, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, Principis Apostolorum, & uerum Christi Vicarium, totiusq; Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum patrem, ac doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi uniuersalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur.

Ecclesiasticorum sacramentorum ueritatem pro ipsorum Armenorū, tam præsentium, quàm futurorum, faciliori doctrina, sub hac breuissima redigimus formula.

Nouæ legis septem sunt sacramenta, uidelicet, baptismus, confirmatio, eucharistia, pænitentia, extrema unctio, ordo, & matrimonium, quæ multum a sacramentis differunt antiquæ legis. illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc uero nostra & continent gratiam,

gratiam , & ipsam digne suscipientibus conferunt . Ho-  
 rum quinque prima ad spiritualem uniuscuiusque ho-  
 minis in se ipso perfectionem, duo ultima ad totius Ec-  
 clesiae regimen, multiplicationemq; ordinata sunt . per  
 baptismū enim spiritualiter renascimur; per confirma-  
 tionem augemur in gratia , & roboramur in fide; rena-  
 ti autem , & roborati , nutrimur diuina eucharistiae ali-  
 monia . quod si per peccatum ægritudinem incurrimus  
 animæ; per pœnitentiam spiritualiter sanamur , spiritua-  
 liter etiam , & corporaliter , prout animæ expedit , per  
 extremam unctionem . per ordinem uero Ecclesia gu-  
 bernatur , & multiplicatur spiritualiter , per matrimo-  
 nium corporaliter augetur . Hæc omnia sacramenta tri-  
 bus perficiuntur , uidelicet rebus tanquā materia, uer-  
 bis tanquā forma , & persona ministri conferentis sa-  
 cramentum cum intentione faciendi , quod facit Ecce-  
 sia . quorum si aliquod desit , non perficitur sacramen-  
 tum . Inter hæc sacramenta , tria sunt , baptismus , con-  
 firmatio , & ordo , quæ characterem , idest spirituale  
 quoddam signum , a ceteris distinctiuum , imprimunt  
 in anima indelebile : unde in eadem persona non reite-  
 rantur . reliqua uero quattuor characterem non impri-  
 munt , & reiterationem admittunt . Primum omnium  
 sacramentorum locum tenet sanctum baptisma , quod  
 uitæ spiritualis ianua est . per ipsum enim membra Chri-  
 sti , ac de corpore efficimur Ecclesiae : et cum per pri-  
 mum hominē mors introierit in uniuersos, nisi ex aqua  
 & spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas,  
 in regnum cælorum introire . Materia huius sacramen-  
 ti est aqua uera, & naturalis : nec refert, frigida sit, an ca-  
 lida . forma autem est , Ego te baptizo in nomine pa-  
 tris ,

## REFORMATIO

tris, & filii, & Spiritus sancti. Non tamen negamus; quin & per illa uerba, Baptizetur talis seruus Christi, in nomine patris, & filii, & Spiritus sancti; uel, Baptizetur manibus meis talis, in nomine patris, & filii, & spiritus sancti; uerum perficiatur baptisma: quoniam, cum principalis causa, ex quo baptismus uirtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis inuocatione perficitur sacramentum. Minister huius sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solum Sacerdos, uel Diaconus, sed etiam laicus, uel mulier, immo etiam paganus, & hæreticus, baptizare potest, dummodo formam seruet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia. Huius sacramenti effectus, est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda est satisfactio; sed moerientes ante, quàm culpam aliquam committant, statim ad regnum cælorum, & Dei uisionem perueniunt.

-Secundum sacramentum est confirmatio: cuius materia est, chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, qui odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto: forma autem est, Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine patris, & filii, & Spiritus sancti. Ordinarius minister est Episcopus. et cum ceteras unctioes simplex sacerdos ualeat exhibere, hanc nõ nisi Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum uicem tenent Episcopi, quòd per manus impositionem

positionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat. Cum enim, inquit, audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria uerbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem: qui cum uenissent, orauerunt pro eis, ut acciperent Spiritum sanctum. non dū enim in quenquam illorum uenerat: sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia confirmatio. legitur tamen aliquando, per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse confirmationis sacramentum. Effectus autem huius sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes; ut uidelicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. ideoq; in fronte, ubi uerecundiæ sedes est, cōfirmandus inungitur, ne Christi nomen cōfiteri erubescat, & præcipue crucem eius, qui Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia fecundum Apostolum, propter quod signo crucis signatur. Tertium est Eucharistiæ sacramentū, cuius materia est panis triticeus, & uinum de uite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. aqua autem ideo admiscetur, quoniam, iuxta testimonia sanctorum patrum, ac doctorum Ecclesiæ, pridem in disputatione exhibita, creditur, ipsum Dominum in uino aqua permixto hoc instituisse sacramentum: deinde, quia hoc conuenit Dominicæ Passionis representationi. inquit enim beatus Alexander Papa V. a beato Petro

## R E F O R M A T I O

Petro : In sacramentorum oblationibus , quæ intra Mis-  
farum solennia Domino offeruntur , panis tantum , &  
uinum aqua permistum in sacrificium offerantur . non  
enim debet in calicem Domini aut uinum solum , aut  
aqua sola offerri , sed utrunque permistum : quia utrun-  
que , idest , sanguis , & aqua , ex latere Christi profu-  
xisse legitur : tum etiam , quòd conuenit ad significan-  
dum huius sacramenti effectum , qui est unio populi  
Christiani ad Christum . aqua enim populum signifi-  
cat , secundum illud Apocalypsis , Aquæ multæ , po-  
puli multi . Et Iulius Papa primus post beatum Silue-  
strum , ait : Calix Dominicus , iuxta canonum præce-  
ptum , uino , & aqua permistus debet offerri : quia ui-  
demus , in aqua populum intelligi , in uino uero osten-  
di sanguinem Christi . ergo , cum in calice uinum , & a-  
qua miscetur , Christo populus adunatur , & fidelium  
plebs ei , in quem credit , copulatur , & iungitur . Cum  
ergo tam sancta Romana Ecclesia , a beatissimis Aposto-  
lis , Petro , & Paulo , edocta , quàm reliquæ omnes La-  
tinorum , Græcorumq; Ecclesiæ , in quibus omnis san-  
ctitatis , & doctrinæ lumina claruerunt , ab initio nascen-  
tis Ecclesiæ sic seruauerint , & modo seruent ; inconue-  
niens admodum uidetur , ut alia quæuis regio ab hac  
uniuersali & rationabili discrepet obseruantia . Decer-  
nimus igitur , ut etiam ipsi Armeni se cum uniuerso or-  
be Christiano conforment , eorumq; Sacerdotes in ca-  
licis oblatione paululum aquæ , prout dictum est , ad-  
misceant uino . Forma huius sacramenti sunt uerba Sal-  
uatoris , quibus hoc confecit sacramentum . Sacerdos  
enim , in persona Christi loquens , hoc cõficit sacramen-  
tum . nam ipsorum uerborum uirtute , substantia panis  
in

in corpus Christi, & substantia uini in sanguinem conuertuntur, ita tamen, quòd totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie uini: sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ, & uini consecrati, separatione facta, totus est Christus. Huius sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius unitur; consequens est, quòd per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur: omnemq; effectum, quem materialis cibus, & potus, quo ad uitã agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando, sacramentum hoc, quo ad uitam operatur spirituales, in quo, ut inquit Vrbanus Papa, gratam Saluatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, & ad uirtutum & gratiarum proficimus incrementum. Quartum sacramentum est pænitentia: cuius quasi materia sunt actus pænitentis: qui in tres distinguuntur partes. quarum prima est cordis contritio: ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero: secunda, oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriã habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter: tertia, satisfactio pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis; quæ quidem præcipue fit per orationẽ, ieiunium, & eleæmosinã. Forma huius sacramenti sunt uerba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit, Ego te absoluo &c. Minister huius sacramenti est Sacerdos, habens auctoritatem absoluendi uel ordinariam, uel ex commissione superioris. Effectus huius sacra-

C menti



## R E F O R M A T I O

menti est absolutio a peccatis. Quintum sacramentū est extrema unctio : cuius materia est oleū oliuæ per Episcopum benedictum . hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet. qui in his locis un- gendus est, in oculis propter uisum , in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, uel locutionē, in manibus propter tactum , in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationē ibidem uigentē. Forma huius sacramēti est hæc : Per istam unctiōem, & suam piissimam misericordiā indu- geat tibi Dominus, quidquid per uisum &c. et similiter in aliis membris. Minister huius sacramēti est Sacerdos: effectus uero est mentis sanatio , & , in quantum autem expedit , ipsius etiam corporis . De hoc sacramento in- quit beatus Iacobus Apostolus : Infirmatur quis in uo- bis ? inducat presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : & oratio fidei saluabit infirmum , & alleuiabit eum Dominus : & , si in peccatis sit, dimittentur ei . Sextum sacramentum est ordinis : cuius materia est illud, per cuius traditionē confertur ordo : sicut presbyteratus traditur per calicis cum uino, & patenæ cum pane porrectionem ; diacona- tus uero per libri Euangeliorū dationē, subdiaconatus uero per calicis uacui cum patena uacua superposita tra- ditionem : & similiter de aliis, per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem . Forma sacerdotii talis est : Accipe potestatem offerendi sacrificium in Eccle- sia pro uiuis, & mortuis, in nomine patris, & filii, & Spiritus sancti . & sic de aliorum ordinum formis, pro- ut in Pontificali Romano late continetur. Ordina- rius minister huius sacramenti est Episcopus : effectus augmentum

augmentum gratiæ , ut quis sit idoneus minister. :  
 - Septimum est sacramentum matrimonii , quod est si-  
 gnum coniunctionis Christi , & Ecclesiæ , secundum  
 Apostolum dicentem : Sacramentum hoc magnum est:  
 ego autem dico in Christo , & in Ecclesia . Causa effi-  
 ciens matrimonii regulariter est mutuus consensus, per  
 uerba de presenti expressus. Assignatur autem tri-  
 plex bonum matrimonii. primum est proles suscipien-  
 da , & educanda ad cultum Dei : secundum , fides ,  
 quam unus coniugum alteri seruare debet : tertium ,  
 indiuisibilitas matrimonii , propter hoc , quòd signi-  
 ficat indiuisibilem coniunctionem Christi , & Eccle-  
 siæ . quamuis autem ex causa fornicationis liceat tori se-  
 parationem facere ; non tamen aliud matrimonium con-  
 trahere fas est ; cum matrimonii uinculum, legitime  
 contracti, perpetuum sit .

De custodia , & administratione sacra-  
 mentorum, deq; Ecclesiarum dedica-  
 tionibus certo die, & aliis festis deuote  
 celebrandis.

CONSTITUTIONEM bo. me. Ioannis Archiepiscopi  
 Cantuariensis, in Concilio prouinciali editam, qua pie,  
 & prouide statutum est, ut in qualibet parrochiali Eccle-  
 sia tabernaculum fiat cum sera, & clauis, decens, & hone-  
 stum , pro curæ magnitudine , & Ecclesiæ facultatibus,  
 ubi sanctissimum eucharistiæ sacramentum custodia-  
 tur , non in bursa , uel loculo , sed in panno lineo mun-  
 dissimo , in pixide decenti incluso , ita ut sine ullo dimi-  
 nutionis periculo facile reponi , & eximi possit : atque

C ii ut

## R E F O R M A T I O

ut ipsum uenerabile sacramentum singulis hebdomadis renouetur, pœna etiam contra Sacerdotes in eucharistiæ custodia negligentes statuta, huius auctoritate Concilii innouandam censuimus: eaque ut omnino seruetur, decernimus: adiicientes, ut hoc tabernaculum in medio altaris maioris ita eminenter, ut ab omnibus conspici possit, collocetur, & ita affigatur, ne facile a quoquã amoueri possit. si uero in eo loco commode poni non potest; tum in alio altari, maiori proximo, ac maxime decenti, ponatur. Locorum autem Ordinarii in suis Ecclesiis initium huius obseruationis facientes, ut in aliis idem fiat, prouidebunt, negligentes in hoc per eius fructuum Ecclesiæ portionis, quæ ad huius rei confectionem sufficiat, subtractionem, & alia iuris remedia ad hoc decretum obseruandum compellendo. nec alios propterea, quicumque præter rectores ad huius rei contributionem tenerentur, exoneramus. Huic etiam constitutioni ob honorem corporis Domini nostri Iesu Christi, qui est candor lucis æternæ, hoc addimus, atque decernimus, ut iuxta antiquam, & laudabilem Ecclesiæ Anglicanæ, & aliarum prouinciarum consuetudinem lampas, uel cereus coram eo continue ardeat. ubi uero facultates Ecclesiæ non suppetant, curent locorum Ordinarii, quantum in eis est, ut facultas aliunde paretur, qua tam honesta, & pia consuetudo, quæ fere iam in omnibus huius regni Ecclesiis superiorum temporum iniuria est sublata, renouetur. Præterea omnes constitutiones ecclesiasticas, tam generales, quam huius regni particulares, de custodia fontis baptismatis, chrismatismatis, & olei sancti, & de sacramentis ipsis rite, & recte, ac cum eâ, qua decet, reuerentia, administrandis

dis latas, & promulgatas, innouamus, easq; ab omnibus, ad quos ea res pertinet, sub pœnis, quæ in eis continentur, & aliis etiam grauioribus arbitrio Ordinariorum pro modo culpæ irrogandis, inuiolabiliter obseruari decernimus.

De Ecclesiarum dedicationibus certo die, ipsiq;, & aliis festis deuote celebrandis.

**VT** in solennitatibus dedicationum Ecclesiarum, quas iuxta antiquum huius regni morem ubique primo die Dominico mensis Octobris celebrari uolumus, prophana, & irreligiosa uulgi cōsuetudo uana spectacula edendi, commestationes, tripudia, & alia id genus facienda tollatur, statuimus, ut Episcopi diligenter prouideant, ne quid tale posthac eo die, aliis ue festis diebus fiat; sed ut populus audiendis diuinis officiis deuotus intendat, inobedientes autem per ecclesiasticas censuras, & alia iuris remedia, inuocato etiam, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, compescant.

### D E C R E T V M III.

De residentia Episcoporum, & aliorum inferioris ordinis clericorum, & scholarium, collegiorum præfectorum.

**CVM** Ecclesiæ reformationis initium ab iis fieri debeat, qui aliorum curam gerunt; in iis autē magnus hic uigeat abusus, quòd multi eorum in Ecclesiis sibi cōmissis non residentes eas mercenariis relinquunt, quæ res omnium fere malorum in Ecclesia causam attulit: iccirco, ut hic abusus, quoad eius fieri potest, tollatur;

Primum

## R E F O R M A T I O

Primum omnes, qui cathedralibus etiam metropolitani, aliis uel inferioribus Ecclesiis curam animarum habentibus præsentibus, magnopere hortamur in Domino, & per uiscera misericordiæ Iesu Christi obtestamur, ut attendentes sibi, & uniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, ad commissi sibi gregis salutem, cuius sanguis de eorum manibus est requirendus, debi- tam ei præsentiam exhibeant, & ab omni negotiorum sæcularium sollicitudine uacui super eius custodiam ui- gilent, atque ex Apostoli præcepto in omnibus laborent, & ministerium suum impleant. Deinde, quia sæpe fieri uidemus, ut, quos Dei timor ad munus suum exequen- dum non mouet, poenarum metus impellat: omnes Ec- clesiasticas, tam generales, quam huius regni particu- lares, constitutiones, contra eos, qui non resident, edi- tas, innouamus: quos etiam usque ad ipsorum benefi- ciorum priuationem inclusiue ad residendum compelli uolumus, & decernimus. licebit tamen Ordinariis, iuxta canonem se. re. Gregorii Papæ X. in generali Con- cilio Lugdunensi editum, gratiam dispensationis ad tempus concedere, prout causa rationabilis, & iuri con- sona id exposcet.

Præterea, cum dignitates, personatus, & alia huiusmo- di ecclesiastica officia, & ministeria in Dei Ecclesiis ideo sint instituta, ut essent qui disciplinam ecclesiasti- cam, tanquam inspectores, & moderatores, conferua- rent, & auerent; quia uidemus multos esse, qui, ha- rum dignitatum, & officiorum emolumenta capiunt, a propriis Ecclesiis absint, nullamq; eis operam impen- dant, non sine magno ipsarum Ecclesiarum detrimento;

iccirco

iccirco, ut hi etiam ad suum officium præstandum compellantur, arctioribus Ecclesiarum, & collegiorum statutis, & cõsuetudinibus in suo robore permanentibus, statuimus, ut posthac omnes Decani, præpositi, & alii quascunque tam cathedralium etiam metropolitanarũ, quàm collegiatarum Ecclesiarum dignitates, personatus, officia, & administrationes, quocunque nomine nuncupentur, obtinentes, necnon scholarium collegiorum præfecti adsint in suis Ecclesiis, & collegiis. Archidiaconi uero uel in Archidiaconatibus, uel in Ecclesiis cathedralibus, prout magis Episcopo loci exspectans uisum fuerit, commorentur, ut debitam illis operam præsent. Si quis uero ultra uacationem, statutis Ecclesiæ sibi concessam ab Ecclesia, Archidiaconatu, aut collegio suo abfuerit; tum, pro rata temporis absentia, in fructibus, quomodocunque sibi ratione officii, dignitatis, uel præfecturæ obuenientibus, per eius superiorem puniatur; atque hi in utilitatem mensæ Ecclesiæ cathedralis, quæ pro scholaribus alendis iam erecta est, erigetur ue, conuertantur. et, si longioris absentia ratio ita postulauerit, aliis iuris remediis, etiam usque ad dignitatis, officii, uel præfecturæ priuationem inclusiue, iuxta canonicas sanctiones, ad residentiam compellatur. Liceat tamen iis, qui huiusmodi dignitates, & officia obtinent, ex causa rationabili, & iuri consona, etiam per maiorem partem capituli, seu collegii probata, de licentia superiorum ad tempus abesse.

Cum uero canonicatus, & præbendas in Ecclesiis instituendi ratio, & causa hæc fuerit, ut, qui ad eos assumuntur, Episcopo assistant, eumq; in muneris sui functione, consilio, & opera adiuuent, & in diuinis  
officiis

## REFORMATIO

officiis celebrandis Ecclesiæ, ex qua fructus percipiunt, inseruiant; cumq; pauci admodū sint, qui hæc præsent; ut prope iam Ecclesiæ ipsæ ad solitudinem sint redactæ: statuimus, & mandamus, ut posthac omnes canonici, tam cathedralium etiã metropolitanarum, quàm collegiatarum Ecclesiarum, qui ex fundatione, statuto, uel consuetudine in Ecclesiis residere tenentur, ad personalem in eis residentiam per subtractionem fructuum, ex canonicatibus, & præbendis prouenientium, pro rata temporis, quo ultra uacationem sibi statutis Ecclesiæ concessam sine licentia superioris ex causa legitima, & quam maior pars capituli approbauerit, abfuerint, ab eis auferendorum, & in utilitatem mensæ præfatæ conuertendorū, & per alia quæcunque iuris remedia compellantur. Qui uero ex fundatione, statuto, uel consuetudine ad residentiam non tenentur; si præbendam ad decem librarum annum ualorem ascendentem obtineant, nisi in Ecclesia, ad quam præbenda spectat, unū mensem, uel eo plus, prout eorum superioribus uisum fuerit, quotannis præsentés fuerint, & in habitu, per residentarios eiusdem Ecclesiæ canonicos geri solito, diuinis officiis intersint: sextam partem prouentus annui præbendæ suæ, in utilitatem scholæ prædictæ conuertendam, quoties secus fecerint, amittant. Qui uero præbendam, quæ ad annum uiginti librarum ualorem ascendit, obtinent; nisi & ipsi in Ecclesia, ad quã præbenda pertinet, mensibus saltem duobus continuis, uel interpolatis, aut etiam pluribus eiusdem superioris arbitrio quotannis præsentés fuerint, & in habitu prædicto inseruiuerint; ii sexta parte prouentus annui præbendæ suæ, ad usum prædictum deputandæ, priuentur, nisi

nisi huiusmodi fructus iis , qui diuinis intersint , seu aliis piis usibus per Ecclesiæ statuta, consuetudines ue , seu alias legitime sint iam applicati, quod & in aliis præcedentibus capitibus , ubi hac de re agitur , placuit obseruari : Hoc insuper adiicientes, ut distributiones quotidianæ appellatæ , quæ ab interessentibus tantū percipiuntur , nemini , qui eisdem diuinis non interfit, ex quantumuis iusta causa , nisi ea talis sit , quæ expresse a iure , uel a statutis Ecclesiæ probetur , concedantur . Eorum autem , quibus , studiorum gratia , ad certum tempus indultum est , ne ad eos ordines promoueri teneantur, ad quos ratione beneficiorum, quæ obtinent, promouendi essent, & ut absentes nihilo minus fructus percipiant, quia plerique in nulla ex uniuersitatibus, in quibus generale studium uiget , sed in locis, ubi nullus est studiorum usus, atque exercitatio, commorantur , & nō pauci etiam in studiis generalibus degētes, quiduis potius aliud agunt, quàm ut litteris operam dent : iccirco , ne dolus , & fraus hac in re cuiquam patrocinetur , omnibus locorum Ordinariis mandamus, ut posthac , antequàm ulli suæ iurisdictionis huiusmodi indultæ concedant , diligenter inquirent, an is ad litterarum studia sit aptus , & an eæ disciplinæ , quibus operam sedaturum profiteatur, tales sint, quæ ei conueniant , & Ecclesiæ futuræ sint utiles, & an temere , uel in fraudem hanc licentiam petat . quam si, omnibus mature perspectis, illi concedendam duxerint ; tum curent , ut sciant, quibus in locis is degat , & quam uitam ducat, & quem in litteris progressum faciat. quòd si otiose eum uiuere, aut nihil in litteris proficere cognouerint ; & indultum reuocent , & ad ordines suscipiendos, ad quos tenetur,

D

&amp; ad



## R E F O R M A T I O

officiis celebrandis Ecclesiæ, ex qua fructus percipiunt, inseruiant; cumq; pauci admodū sint, qui hæc præstent; ut prope iam Ecclesiæ ipsæ ad solitudinem sint redactæ: statuimus, & mandamus, ut posthac omnes canonici, tam cathedralium etiã metropolitanarum, quàm collegiatarum Ecclesiarum, qui ex fundatione, statuto, uel consuetudine in Ecclesiis residere tenentur, ad personalem in eis residentiam per subtractionem fructuum, ex canonicatibus, & præbendis prouenientium, pro rata temporis, quo ultra uacationem sibi statutis Ecclesiæ concessam sine licentia superioris ex causa legitima, & quam maior pars capituli approbauerit, abfuerint, ab eis auferendorum, & in utilitatem mensæ præfatæ conuertendorū, & per alia quæcunque iuris remedia compellantur. Qui uero ex fundatione, statuto, uel consuetudine ad residentiam non tenentur; si præbendam ad decem librarum annum ualorem ascendentem obtineant, nisi in Ecclesia, ad quam præbenda spectat, unū mensem, uel eo plus, prout eorum superioribus uisum fuerit, quotannis præsentem fuerint, & in habitu, per residentarios eiusdem Ecclesiæ canonicos geri solito, diuinis officiis intersint: sextam partem prouentus annui præbendæ suæ, in utilitatem scholæ prædictæ conuertendam, quoties secus fecerint, amittant. Qui uero præbendam, quæ ad annum uiginti librarum ualorem ascendit, obtinent; nisi & ipsi in Ecclesia, ad quā præbenda pertinet, mensibus saltem duobus continuis, uel interpolatis, aut etiam pluribus eiusdem superioris arbitrio quotannis præsentem fuerint, & in habitu prædicto inseruiuerint; ii sexta parte prouentus annui præbendæ suæ, ad usum prædictum deputandæ, priuentur, nisi

nisi huiusmodi fructus iis , qui diuinis intersint , seu aliis piis usibus per Ecclesiæ statuta, consuetudines ue , seu alias legitime sint iam applicati, quod & in aliis præcedentibus capitibus , ubi hac de re agitur , placuit obseruari : Hoc insuper adiicientes, ut distributiones quotidianæ appellatæ , quæ ab interessentibus tantū percipiuntur , nemini , qui eisdem diuinis non interfit, ex quantumuis iusta causa , nisi ea talis sit , quæ expresse a iure , uel a statutis Ecclesiæ proberetur , concedantur .

Eorum autem , quibus , studiorum gratia , ad certum tempus indultum est , ne ad eos ordines promoueri teneantur, ad quos ratione beneficiorum, quæ obtinent, promouendi essent, & ut absentes nihilo minus fructus percipiant, quia plerique in nulla ex uniuersitatibus, in quibus generale studium uiget , sed in locis, ubi nullus est studiorum usus , atque exercitatio , commorantur , & nō pauci etiam in studiis generalibus degētes, quiduis potius aliud agunt, quam ut litteris operam dent : iccirco , ne dolus , & fraus hac in re cuiquam patrocinetur , omnibus locorum Ordinariis mandamus, ut posthac , antequam ulli suæ iurisdictionis huiusmodi indulgentia concedant , diligenter inquirant , an is ad litterarum studia sit aptus , & an eæ disciplinæ , quibus operam sedaturum profiteatur, tales sint, quæ ei conueniant, & Ecclesiæ futuræ sint utiles, & an temere , uel in fraudem hanc licentiam petat . quam si, omnibus mature perspectis, illi concedendam duxerint ; tum curent , ut sciant , quibus in locis is degat , & quam uitam ducat, & quem in litteris progressum faciat. quod si otiose eum uiuere, aut nihil in litteris proficere cognouerint ; & indultum reuocent , & ad ordines suscipiendos , ad quos tenetur,

D

&amp; ad

## REFORMATIO.

& ad residentiam per subtractionem fructuum, & alia iuris remedia compellant.

Quoniam uero beneficiorum pluralitas residentiam maxime impedit, & clericis materiam uagandi præstat: statuimus, ut, quicumque plura incompatibilia beneficia ecclesiastica de facto obtinet, unico, quod maluerit, retento, (ad quod retinendum, in euentum dimissionis aliorum, seu alterius, ut sequitur, auctoritate Apostolica nobis concessa, sine alieni iuris præiudicio eum habilitamus) aliud, seu alia, quæ de iure tenere nõ potest, intra duorum mensium spatium, a præsentis decreti publicatione computandorum, in manibus sui Ordinarium publice coram testibus resignet, & re ipsa dimittat: alioquin omnibus sit priuatus, quæ ipso iure uacare, & ad ea obtinenda eum omnino inhabilem esse decernimus. hanc autem per hoc breue spatium incompatibilium huiusmodi beneficiorum retentionem ex quibusdam rationabilibus causis, eadem auctoritate Apostolica nobis concessa, duximus indulgendam.

Qui uero in posterum plura beneficia curam animarum habentia, seu aliter incompatibilia, sine eiusdem Sedis Apostolicæ dispensatione, uel auctoritate, per modum unionis ad uitam, uel commendæ, uel custodiæ, præter eum modum, quem constitutio Gregoriana in Concilio Lugdunensi edita permittit, aut alio quocunque nomine & titulo recipere, ac simul retinere præsumserit: non solum secundo, & pluribus, quæ de facto obtinuit, sed etiam primo, quod canonicè possidebat, sit ipso iure priuatus. Omnes item alias sententias, censuras, & pœnas in constitutione se. re. Ioannis XXII. quæ incipit, Audistis, & quibuscunque aliis tã Apostolicis,

licis, quàm prouincialibus, & synodalibus, & Apostolicæ Sedis in hoc regno Legatorum constitutionibus contra eos, qui huiusmodi incompatibilia beneficia obtinent, seu de illis prouident, quoquo modo editas, inuouamus, & debitæ executioni mandari præcipimus.

Ordinarii autem locorum eis, quicumque plura curata, aut aliter incompatibilia beneficia ecclesiastica obtinent, dispensationes suas exhibere omnino compellant, & alias agant, iuxta constitutionem Gregorii XI. in Concilio Lugdunensi editam, quæ incipit: Ordinarii: quam plane obseruari decernimus: Addentes, ut ipsi Ordinarii etiam per idoneorum uicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum assignationem prouideant, ut animarum cura nullo modo negligatur, & beneficia ipsa debitis ministeriis non fraudentur.

## D E C R E T V M IIII.

Vt Episcopi, reliquiq; curam animarum exercentes populo prædicent, parochique pueros prima fidei rudimenta doceant.

SE D quoniam nihil, aut parum utilitatis allatura est Episcoporum, & aliorum inferioris ordinis curam animarum habentium, in Ecclesiis suis residentia, nisi iidem pastoris officio fungantur, quod potissimum in diuini uerbi prædicatione consistit; inoleuit autem alicubi hic abusus, ut, Episcopi munere prædicandi ad alios translato, in alia ipsi officia incumbant, contra Apostolorum exemplum, qui dixerunt: Non est æquum nos relinquere uerbum, & ministrare mensis: quod munus

D i i tamen

## R E F O R M A T I O

tamen, cum in pauperibus alendis uerfaretur, maxime pius erat: iccirco cum huius Synodi approbatione statuimus, ut Archiepiscopi, & Episcopi omnes prædicationis uerbi Dei munus per se ipsos obire, iuxta Christi & Apostolorum mandatum, & sacrorum canonum normam, teneantur: et, si quando legitimū aliquod impedimentū inciderit, quo minus id facere possint, tum, secundum statutū se. re. Innocentii Papæ III. in generali Concilio editum, quod incipit, Inter cetera uiros idoneos deligant ad huiusmodi prædicationis officium recte exequendum: rectores, item uicarii, & quicunque alii, curam animarum habentes, per se, uel per alios idoneos uiros, si legitime ipsi impediti fuerint, saltem dominicis & aliis festis diebus plebem sibi commissam salutari prædicationis cibo pascant. quod si quis hoc necessarium prædicandi officium prætermiserit, postquam per superiorem monitus per unius mensis spatium muneris suo defuerit, per censuras ecclesiasticas, & alia iuris remedia ad id ipse superior eum compellat, etiā aliquam honestam mercedem de fructibus ipsius Ecclesiæ alteri, qui id præstet, assignando, donec principalis quandoque respiciens officium suum impleat.

Huic autem prædicationis officio ita plane satisfactū erit, si non solum publice concio habeatur, sed priuatim etiam pastor, quos ex grege sibi commisso a recta fide, uel a bonis moribus aberrare cognouerit, eos ad se uocatos paterne & cum omni caritatis affectu docendo, monendo, hortando, ac, si opus fuerit, deterrendo ad catholicam fidem, & rectam uiuendi normam reducere conetur: qui uero & in fide, & in moribus recte uiuunt, in sancto eorum instituto confirmet.

Quia

Quia uero sunt, qui non uocati ad prædicandum ipsi se ingerunt, cum tamen Apostolus dicat, Quo modo prædicabunt, nisi mittantur? quos etiam Deus per Prophetam reprehendit, dicens, Ipsi currebant, & ego nõ mittebam illos; statutum fere Innocentii Papæ III. in generali Concilio editum, quo sub anathematis, & aliis pœnis, ei, qui in contumacia perseuerauerit, infigendis, prohibetur, ne quis præter auctoritatem, ab Apostolica Sede, uel a catholico loci Episcopo concessam, publice, uel priuatim, extra quam regit Ecclesiam prædicationis officium usurpare audeat, obseruandum censemus.

Quos autem Episcopus ad prædicandum mittet, eos de materia & modo prædicandi (multi enim in hoc officium abusus irrepserunt) cum omni pietate, & studio instruat. hoc autem potissimum erit eis iniungendum, ut in primis populum ad pœnitentiam adhortentur: quæ quidem eo magis necessaria est, quo grauius Deum offendimus, & maioribus ab eo beneficiis affecti sumus, hoc regno a perniciosissimo schismate liberato: deinde contra ea uitia, & abusus, qui tum in doctrina, tum in moribus tempore ipsius schismatis uiguerunt, quibus etiam nunc plerique sunt infecti, diligenter erudiat, moneatque.

Quia uero in multis Ecclesiis concionatores defunt, ne populus propter rectorum, uicariorum, aliorum uel qui curam animarum habent, imperitiam necessario sanæ doctrinæ cibo fraudetur, quædam homiliæ a piis & doctis uiris ex huius Synodi mandato de his præcipue, in quibus hic magis peccatum est, conscriptæ edentur, quas curati, qui ad concionandum idonei non erunt,

loco

## REFORMATIO

loco sermonis plebi sibi cōmissæ plane & distincte legēt.

Cum autem hic messis multa sit, operarii autem pauci; rogandus est in primis Dominus messis, ut in uineam suam operarios mittat. interim uero Episcoporum erit, certos prædicatores deligere, qui omnia diocesium suarum loca sic obeant, ut ne qua pars gregis salutari uerbi Dei pabulo omnino fraudetur.

Hoc etiam eisdem agendum erit, ut, quicumque curæ animarum sunt præfecti, pueros parochiæ suæ singulis saltem dominicis & aliis festiuis diebus, certa hora, qua diuinis officiis non erunt impediti, ad Ecclesiam uocatos in primis fidei rudimentis, ac pietate, & obedientia erga Deum, & parentes diligenter instruant. qui uero id prætermiserint, per ea iuris remedia, quæ oportuna uidebuntur, ad id compellentur.

### DECRETVM V.

De uita, & honestate clericorum.

QVIA uero exemplum uitæ magnam auctoritatem uerbo affert, estq; uelut quoddam prædicandi genus; ob id curandum est iis, qui aliis præsumt, ut ceteris, cum morum probitate, uitæq; sanctitate, tum ea propriam domum recte gubernandi laude, quam in Episcopis Apostolus requirit, antecellant. Quapropter huius regni Archiepiscopos, Episcopos, & reliquos omnes Ecclesiarum Prælatos per uiscera misericordiæ Iesu Christi monemus, atque obtestamur, ut, iuxta doctrinam Apostoli, ita sobrie, caste, ac pie uiuant, ut ceteris eorum uita, & conuersatio ad pietatem, & morum disciplinam exemplo esse possint. Nullo ipsi fastu, nulla pompa  
utantur,

utantur, non uestibus fericis, non pretiosa supellestile: sit eorum mensa frugalis, & parca: nō plus, quàm tria; aut ad summum quattuor (quod etiam magis, pro huius temporis ratione, indulgendo, quàm probando concedimus) ciborum genera, præter fructus, & bellaria, qualescunque hospites, aut conuiuas habeant, apponantur: reliqua mensæ condimenta sint caritas, sanctorum librorum lectio, & pii sermones. Domesticorum, & equorum numerosa, & superflua multitudine abstineant, ac tot ministris contenti sint, quot ad curæ sibi commissæ administrationem, ac domus regimen, & ad quotidianos uitæ usus erunt necessarii. Sint etiam de eorum moribus, & uita solliciti; ne ex alienis uitiiis turpem contrahant infamiæ notam: curentque, ut laici sibi inferuientes uestitu, quod ad genera & colores uestium attinet, modesto, ac decenti utantur. Ac, ne hæc sumptuū moderatio auaritiæ tribuatur, quidquid ex fructibus Ecclesiarum, deductis iis, quæ earum oneribus sustinendis, & ipsis, atque ipsorum familiaribus necessaria sunt, supererit, id omne iuxta illa, quæ beatus Gregorius Papa Augustino Episcopo de fructibus Ecclesiæ dispensandis rescripsit, ad pauperes Christi suscipiendos, & alendos, ad pueros, & adolescentes in scholis, & studiis educandos, atque in alia pia opera ad Dei gloriam, & proximi utilitatem, & aliorum exemplum distribuant. Sint patres pauperum, sint orphanorum, uiduarum, & oppressorum refugium, ac tutela. In sacrarum scripturarum lectione, & in iis, quæ ad curæ sibi commissæ regimen spectant, assidue uersentur: a sæcularibus autem negotiis, & omnibus iis, quæ ordini clericali, iuxta sacrorum canonū instituta, minime conueniunt,



## R E F O R M A T I O

conueniunt , abſtineant , ita ut in omnibus forma gregis uere facti agnoſcantur .

Hæc eadem reliquis etiam inferioris ordinis clericis ſequenda proponuntur : ( æquum eſt enim , ut membra cum capite congruant ) atque ut ii tales omnino ſint ; ſtatuiſmus , ut locorum Ordinarii curent , ut ea , quæ tam per ſacros canones generales , quàm per Sedis Apoſtolicæ Legatorum , & prouinciales huius regni leges , de uita , & honeſtate clericorum ſanctè & pie inſtituta ſunt , ſub pœnis in eis expreſſis , & aliis etiam ipſorum arbitrio irrogandis , ab omnibus ſuæ iuriſdictionis clericis integre obſeruentur . Ac , ne quis harum rerum ignorantiam prætendat , iidem Ordinarii , ut ea omnia , quæ magis neceſſaria uidebuntur , in breue compendiũ redigantur , & cum adiectione pœnarum , & monitionibus debitis per publicas denuntiationes , ſeu aliter ad omnium notitiam deducantur , curabunt . Vt autem quidam abusus , qui in mores , & uitam clericorum ſuperioris temporis uitio hic paſſim irreperunt , quoad eius fieri poteſt , tollantur ; de his quædam ſpecialiter , prout infra ſequitur , ſtatuenta cenſuimus .

Cum igitur perſonis regularibus profeſſis , itemq; ſæcularibus in ſacris ordinibus conſtitutis , iuxta ſacrorum Conciliorum , & canonum ſtatuta , per antiquam , ac laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem , uxores habere nõ liceat : quia nihilo minus plerique poſt profeſſionem emiſſam , & ſacrorum ordinum ſuſceptionem , omni Dei & legum timore poſthabito , matrimonia , quæ potius impudica contubernia ſunt appellanda , de facto contrahere non ſunt ueriti , in maximum religioſorum , & ordinis clericalis dedecus , & ſcandalum populi , & animarum

animarum suarum perditionem : ut tam pro præteritis, quàm futuris casibus huiusmodi abusui prouideatur : eadem hac Synodo approbante, nos omnia huiusmodi matrimonia, tam a religiosis utriusque sexus professis, quàm clericis sæcularibus, qui usque ad sacrum Subdiaconatus ordinem inclusive peruenerunt, ut præmittitur, de facto contracta, damnamus, & reprobamus, ac minime de iure fieri potuisse, quinimmo illicita, ac nefaria esse pronuntiamus, & declaramus; mandamusq; uniuersis huius regni Ordinariis, ut huiusmodi personas de facto ita coniunctas, per censuras ecclesiasticas, & alia iuris remedia separent, ac disungant, neque ullo modo simul habitare permittant: ac contra omnes, quicumque huiusmodi matrimonia defendere, seu in eis obstinate perseuerare uoluerint, iuxta sacrorum canonum normam seuerè procedant. ac, ne in posterum quidquam tale committatur, omnes constitutiones canonicas, tam generales, quàm huius regni particulares, contra huiusmodi excessus latis, cum omnibus sententiis, censuris, & pœnis in eis contentis, omnino exequendas statuimus.

Præterea, cum pleræque huius regni ecclesiasticæ personæ, etiam ecclesiastica beneficia obtinentes, atque in sacris ordinibus constitutæ, suæ conditionis immemores non solum habitum, & tonsuram ordini suo convenientem non gerant, sed negotiis quoque sæcularibus, atque exercitiis etiam uilibus, ac turpibus se implicent, nec horas canonicas persoluant, nec in studia litterarum incumbant, aliud ue omnino quidquam, quod ordini suo conueniat, agant, in sacrarum legum contemptum, & clericalis ordinis dedecus: statuimus,

E & de-

## REFORMATIO

& decernimus, ut, quicumque in aliqua ecclesia præbendam, seu cuiuscunque generis, uel appellationis beneficium ecclesiasticum obtinet, habitum, & tonsuram clericales secundum canonicas sanctiones gerere, & ab omnibus negotiis, atque exercitiis ordini clericali non conuenientibus, seu aliter de iure prohibitis, omnino abstinere, horasque canonicas persoluere, ac in studia litterarum incumbere, & alia, quæ personæ suæ, & ordini, ac beneficio, quod obtinet, conueniunt, agere teneatur. quòd si quis ab Ordinario monitus in huiusmodi abusibus perseuerauerit, is per quæcunque iuris remedia, etiam usque ad beneficiorum priuationem inclusiue, se corrigere, atque emendare cogatur. et si in sacris ordinibus constitutus fuerit, etiam si beneficium non obtineat, per eadem iuris remedia ad prædictorum obseruationem nihilo minus compellatur. qui uero in minoribus tantum ordinibus constituti sunt, ab illicitis, & sibi prohibitis exercitiis abstineant: alioqui priuilegiis clericalibus, iuxta canonicas sanctiones, priuentur.

## DECRETVM VI.

De ecclesiasticorum ordinum collatione,  
& examinatione ordinandorum.

ETSI post diuini uerbi prædicationem nihil magis Episcopo iniunctum est, quàm diligens & accurata in manu impositione animaduersio, præcipiente Apostolo, Nemini cito manum imposueris: tamen, quia non ea diligentia, quæ tantæ rei conuenit, adhiberi solet, ex quo ordinis ecclesiastici contemptus, & magna diuini cultus

cultus diminutio oritur; eadem hac Synodo approban-  
te statuimus, ut omnes, & singuli locorū Ordinarii nul-  
lum laborem in ordinum ecclesiasticorum collatione  
recusent: sed per se ipsos, si legitime impediti non fue-  
rint, alioqui per alios catholicos Episcopos, cum omni  
studio & caritate hoc munus exercentes, statutis a iure  
temporibus, qui ex suis diœcesanis uoluerint, & idonei  
cogniti fuerint, eos ordinibus iniicient: neminem uerò  
ad alterius diœcesis Episcopū, nisi ex causa necessitatis  
benè per eos explorata, ordinandum dimittant, idque  
postquam eum diligenter examinauerint, atque ido-  
neum esse cognouerint. Non putent autem Episcopi se  
muneri suo satisfecisse, si eorum, qui ordinandi sunt,  
examinatione ad alios reiecta, manus tantum ipsi im-  
posuerint. ita enim plerumque fit, ut, qui inutiles, &  
indigni sunt, eos, ab aliis temere, quos ea cura non  
admodum tangit, dignos iudicatos, sacris ordinibus  
præter conscientiam insigniant. Quapropter omnes, &  
singulos Episcopos in Domino hortamur, ac mone-  
mus, eisq; mandamus, ut ipsimet hoc munus exami-  
nandi omni studio, & diligentia exercent. Si ue-  
ro, quia multi ob diœcesium amplitudinem ordinandi  
sint, aliorum auxilio indigeant; tum eorum opera utan-  
tur, quos pios, & doctos nouerint, & quorū diligentia  
confidant. Neque uero ob id Archidiaconos, alios ue,  
ad quos hoc munus pertinet, excludimus: immo ue-  
ro eos assistere Episcopis, eisq; adiutores esse uolumus.  
In examinatione autem eorum, qui ordinandi sint,  
hoc præcipue attendi debet, ne qua ii sint hæresi infe-  
cti; ut sint legitimis natalibus orti, & in ætate a sacris ca-  
nonibus requisita constituti; omniq; defectu careant,

## R E F O R M A T I O

propter quem iure ab ordinibus repellantur ; sintque uitæ ac morum honestate , & probitate commendabiles , ac litterarum scientia pro cuiusque ordinis ratione præditi . Est etiam diligenter animaduertendum , ne simulato, aut minus sufficienti quisque titulo promoueat, qui postea in ordinis clericalis dedecus aut mendicare , aut , quod maxime nefarium est , sacrosanctum Missæ sacrificium quasi uenale facere cogatur . Admonendi autem omnes , & hortandi in primis erunt , ne ad ordines suscipiendos accedant proprii commodi gratia , nec quærentes , quæ sua sunt , sed tantum , quæ Iesu Christi .

Vt autem hæc omnia accuratius fiant , qui promouendi erunt , maxime ad sacros ordines , multo ante ordinationis tempus suum desiderium Episcopo significabunt , ut is de eorum statu , & conditione commode inquirere , & cognoscere possit : ac demum feria quinta , diem ordinationis proxime præcedente , se præsentent , ac dent nomina ; eodemque & sequentibus diebus hora statuta diligenter examinentur . Afferant autem omnes de iis , quæ dicta sunt , certa , ac fide digna testimonia non modo suorum parochorum , sed etiam præceptorum , aliorumque proborum hominum , qui ipsos bene nouerint . Et , ut ab omni peccatorum labe purgati , & qua conuenit deuotione ad sacros ordines suscipiendos accedant ; peccata sua idoneo sacerdoti ante confiteantur , qui , eorum uitæ conditionem sedulo scrutatus , intelligat , an forte aliqua irregularitate , aut alio quopiam impedimento teneantur , ut expediat eos ab ordinibus uel omnino abstinere , uel quoad huiusmodi impedimentum tollatur , sumantque etiam die ordinationis sanctissimum

sanctissimum eucharistiæ sacramentum .

Licet autem in minoribus ordinibus tam exacta cura non requiratur , nihilo minus & in his pro gradu, & ratione ordinis suscipiendi eorum omnium , quæ superius dicta sunt , habenda est .

## D E C R E T U M VII.

### De ecclesiasticorum beneficiorum prouisione.

**C**VM ecclesiastica beneficia dignis tantum , & idoneis personis conferenda sint , quæ & uelint , & possint officium , propter quod beneficiũ datur , exequi : id quod docet exemplum Apostolorum , qui cum Diaconos septem electuri essent , conuocata discipulorum multitudine dixerunt , Considerate fratres ex uobis uiros boni testimonii septem , plenos Spiritu sancto , & sapientia , quos constituamus super hoc opus : iccirco omnes Episcopos , ad quos id spectat , admonitos etiam atque etiam uolumus , ut , omni humano affectu , rationeque posthabita , eis , quos maxime idoneos , atque optimos inuenire potuerunt , ecclesiastica munera , ea in primis , quæ aliorum curam habent annexam , conferant , atque committant , quærentes non quæ sua sunt , aut consanguineorum , ceterorum ue ad ipsos secundum carnem quouis modo pertinentium ; sed quæ Iesu Christi .

Cumque illud Apostoli , Nemini cito manum imposueris , non tam ecclesiasticorum ordinum collationem , quam ministrorum institutionem respiciat : Episcopi nemini ecclesiastica beneficia , maxime curam animarum

## R E F O R M A T I O

rum habentia, nisi prius diligenti inquisitione & examinatione habita, committant. in qua eadem, & multo quidem magis spectari debent, quæ in ordinibus cõferendis spectanda esse diximus, sana doctrina, ætas matura, item morum grauitas, & litterarum scientia: præterea, an, qui præficiendus est, in iis saltem ordinibus, qui beneficii sibi committendi muneri cõueniunt, iuxta canonicas sanctiones, uel Ecclesiarum statuta, seu beneficiorum foundationem sit constitutus, & an ambitione, auaritia ue, aut alio humano affectu ad diuina ministeria suscipienda accedat. Habeat autẽ unusquisque bonum testimonium hominum fide dignorum, cum quibus diutius uersatus fuerit: & ab Episcopo officii & oneris sibi impositi, diligenter admoneatur.

Cum uero ad beneficium, quod personalem residentiam postulet, aliquis assumendus est, perquirat Episcopus, an is talis sit, qui & uelit, & possit in eo reside- re. nã si aliud beneficium incompatible iam obtineat; siue quid aliud sit, quod eius residentiam impediatur: eũ ne admittat. quòd si nihil tale obstat; tamẽ, ante quàm eum beneficio præficiat, promissionem ab eo de personaliter residendo, etiam iureiurando recipiat, apposita pœna amissionis beneficii, si secus fecerit, incurrenda: quam promissionem, & iuramentum in uicariorum prouisionibus tantum recipi debere, iuxta prouinciales constitutiones declaramus.

Episcopis etiam curandum erit, ut a præfectis uniuersitatum & collegiorum scripta habeant nomina eorum, qui moribus, & doctrina ad beneficia obtinenda idonei sint; ut, si quod beneficium uacauerit, sciant, quibus id statim conferre possint. Eos etiam omnem diligenti-

gentiam

gentiam adhibere oportebit peruestigandis hominibus doctis, & piis, qui sibi in ecclesiarum suarum regimine adiumento futuri sint.

Quoniam autem ualde periculosa est diutina ecclesiarum uacatio; omnes Episcopos in Domino hortamur, ac monemus, ut, beneficiis uacantibus, quorum collatio ad eos pertineat, etiam non expectato tempore a sacris canonibus præfinito, quàm citissime possint, de idoneis rectoribus, & pastoribus prouideant. durante uero earum uacatione, procurent, ut ita gubernentur; ne quid detrimenti ipsæ, & plebes, si quas habent sibi commissas, patiantur.

Quæ uero de Episcopis supra diximus, eadem ad alios omnes, quicumque non solum conferendi libere, sed eligendi, instituendi, seu quo modo libet de beneficiis ecclesiasticis disponendi facultatem habent, dicenda erunt, pœnis canonicis contra eos, qui indignos ad beneficia promouerint, innouatis.

#### D E C R E T U M VIII.

Ne concessionem iuris præsentandi, seu aduocationum fiant, ne uel in quempiam facultates disponendi de beneficiis uacaturis contra sacrorum canonum dispositionem transferantur.

CVM in fraudem statuti Lateranensis Cōcilii de beneficiorum non uacantium dispositionibus, seu promissionibus nemini faciendis, multi in alios ius præsentandi, seu de huiusmodi beneficiis disponendi potestatem transfe-



## R E F O R M A T I O

transferant ; ut hic abusus , qui hic frequens est , & ex quo multa mala oriri comperimus , tollatur , cum præsentis Synodi approbatione omnes iuris præsentandi , seu eligendi donationes , seu aduocationum concessionones ad beneficia uacatura , uel ea conferendi , seu quo modo libet de illis disponendi facultates per quoscunque quauis auctoritate uel dignitate fungentes , in posterum contra sacrorum canonum instituta fieri prohibemus : et , si quæ fient , eas irritas , & inanes esse decernimus . Et , si quis ecclesiastici ordinis iura & facultates eiusmodi , ut præfertur , in alium transtulerit ; tum iure de huiusmodi beneficiis disponendi pro ea & altera uice sit eo ipso priuatus ; eorumq; dispositio & ordinatio ad superiorem , qui in hoc non deliquerit , deuoluatur . Quicumque uero ad aliquod beneficium uigore prædictarum concessionum , seu facultatum se per quemcunque præsentari , uel alio modo sibi prouideri permisit , seu consenserit , uel quo modo libet id obtinuerit ; non solum eo sic obtento sit ipso iure priuatus , sed ad omnia beneficia ecclesiastica obtinenda per quinquennium inhabilis fiat . Præterea , omnibus locorum Ordinariis inhibemus , ne quem uigore huiusmodi concessionum sibi præsentatum , uel electum , in dictis beneficiis instituant , seu confirmet , sed eum , tanquam ambitiosum , & sacrarum legum contemptorem , repellant : uolentes omnino , ut prædictum Lateranensis Concilii statutum ab omnibus obseruetur ; nec ei , sub pœnis , tam quoad actus nullitatem , quàm quoad personas contra id delinquentes , superius annotatis , directe , uel indirecte ullo modo , uel prætextu contraueniatur .

Decretum

ANGLIAE.  
DECRETVM IX.

21

De simonia.

CVM detestabile simoniacæ prauitatis scelus, quod ex auaritia, quæ est idolorum seruitus, & omnium malorum radix, oritur, tam diuinæ scripturæ, quàm sacrorum canonum auctoritas uehementer execretur, ac damnet: ut pestiferum hoc uitium, quod proximis temporibus maxime hic uiguit, tollatur, præsentī hoc decreto omnem pecuniæ dationem, fructuum etiam minimæ partis donationem, prædiorū ad firmā seu officii concessionē, omnem denique pactionē, promissionē, & conuentionem, in cuiuslibet beneficii ecclesiastici adeptione, uel circa eam quouis modo interpositam, reuicimus, atque damnamus: cum ecclesiastica beneficia gratis, libere, & sine ulla conditione uel sorde dari, & recipi debeant. Præsentationes uero, electiones, postulationes, institutiones, cōfirmationes, collationes, & cuiuslibet generis beneficiorum ecclesiasticorum dispositiones, in quibus prædicta, uel unum aliquod ex prædictis directe, seu indirecte, non solum per eos, ad quos de ipsis beneficiis disponere pertineat, sed etiam per eorum familiares, & quosuis alios intercessores, & mediatores interposita fuerint, nullam prorsus uim habere decernimus; ita ut non modo in eiusmodi adeptionibus nullum ius quisquam acquirat, uerum etiā, si quos inde fructus perceperit, eos omnes restituere tenetur; sitq; eo factō ad omnia ecclesiastica beneficia in perpetuum inhabilis.

Personæ autem ecclesiasticæ, quæ aliquo modo ex prædictis in disponendo de beneficiis ecclesiasticis deli-

F querint,

## R E F O R M A T I O

querint, quacunque dignitate fungantur, sint eo ipso infames, & omni iuris patronatus, seu qualibet alia de beneficiis huiusmodi disponendi facultate priuati, atque hæc ipsa immediate ad superiorē, qui in prædictis non peccauerit, libere deuoluantur. Laici uero patroni, qui propter aliquod commodum, seu emolumentū ex his, quæ infra scripta iuramenti forma exprimentur, quam præsentauerint, in sententiā excommunicationis, & in alias ecclesiasticas pœnas incurrant. Qui autem in his quocunque modo intercessores, seu mediatores fuerint, si sint eo ipso ad omnes actus canonicos inhabiles: & si quid acceperint, ad restitutionem eius alicui loco pio applicandi per sententias ecclesiasticas, & alia iuris remedia compellantur.

Præterea, omnibus locorum Ordinariis mandamus, ut etiam iuxta prouincialis Concilii statutum ab eo, qui præsentatus fuerit, iuramentum secundum formam infra scriptam recipiant. Itemq; se. re. Pauli Papæ I I. constitutionem, quæ incipit, Cum detestabile, & quacunque alias tam generales, quàm huius regni speciales ecclesiasticas leges contra simoniacos, non solum quoad beneficiorum prouisiones, ut præfertur, sed etiā, quoad ordinum, & aliorum sacramentorum administrationem pure & sine aliqua labe faciendam latas, inno-uamus; atque, ut hæc inuiolabiliter obseruentur, præcipimus. iuramenti autem per præsentatum præstandi forma talis est: Ego N. præsentatus ad beneficium de N. iuro ad hæc sacrosancta Dei Euangelia, per me corporaliter tacta, quòd propter prædictum beneficium obtinendum, aut præsentationem ad idem habendum, aut acquirendum, neque ego, neque alia persona uice  
&

& nomine meo, nec de consensu, aut scientiâ mea, patrono, seu alii cuicumque aliquid præmissorum nomine, aut intuitu promissimus, aut dedimus, nec quidquam eius rei gratia permutauimus, compensauimus, aut prius datum confirmauimus, apud ue quenquam deposuimus; seu quidquam mutuauimus, seu elocauimus, prius ue mutuatum, commodatum, depositum, aut elocatum, aut quocunque modo debitum remisimus, seu relaxauimus, nec de sanctuario, gleba, domibus, terris, prædiis, tenementis, redditibus prædictæ Ecclesiæ, fructibus ue, decimis, aut oblationibus eiusdem præteritis, præsentibus, aut futuris, donationem, remissionem, locationem ue promissimus, fecimus, aut iniuimus, seu aliquis nostrum de mandato, scientia, aut consensu meo promissit, fecit, aut iniuit. ita me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

## D E C R E T V M X.

De rebus Ecclesiæ non alienandis, & bonorum inuentario conficiendo, & officiis ecclesiasticis non locandis.

**ECCLESIARVM** indemnitatibus in posterum omnino prospicere cupientes, hac eadē Synodo approbata statuimus, constitutionem se. re. Pauli Papæ II. de rebus Ecclesiæ non alienandis, quæ incipit, Ambitiose, sub pœnis in ea contentis obseruari debere, quibuscumque aliis tam generalibus, quàm huius regni particulâribus ecclesiasticis prouisionibus super eadem re in suo nihilo minus robore permansuris.

Itemq; Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus pio-

F i i rum

## R E F O R M A T I O

rum locorū gubernatoribus, seu administratoribus, & aliis quibuscunque personis ecclesiasticis, ecclesiastica beneficia, quocunque nomine nūcupentur, obtinentibus, mandamus, ut infra sex mensium spatium, a præsentium publicatione computandorum, inuentarium omnium bonorum mobilium, & immobilium, iurium, actionum, ac nominum, seu debitorum ad Ecclesias, uel pia loca, quæ obtinent, aut regunt, quouis modo pertinentium, cum eorum qualitatibus & confinibus coram pluribus honestis & fide dignis testibus in forma probante conficiant: quod quidem inuentarium tertio quoque anno, & quoties in eadem Ecclesia, seu pio loco alius quis succedit, renouetur. huius autem inuentarii duo fiant publica instrumenta: quorum unum in propria Ecclesia, seu pio loco, alterum, si sit Ecclesia metropolitana, apud Capitulum; si cathedralis, apud Metropolitanum; si uero aliarum inferiorum Ecclesiarum, uel beneficiorum, uel piorum locorum, apud Episcopum perpetuo custodiatur. Metropolitanus uero, & alii locorum Ordinarii in prouinciarū, & diocesium suarum uisitationibus, siue qui alii eorum uice uisitant, dicta inuentaria apud se habeant, & diligenter inquirent, an eorum, quæ in inuentario descripta sunt, aliquid desit. quòd si quid deesse compererint, id recuperare, seu ad ius pristinum Ecclesiarum reuocare studeant; culpam, seu negligentiam cuiuslibet hac in re iuxta canonicas sanctiones seuerè puniendo: exceptis tamen semper iis, quæ circa bona ecclesiastica, ante ab Ecclesijs ablata, iā auctoritate Apostolica statuta sunt, quibus per hoc nullo modo derogari uolumus.

Præterea, constitutiones bo. me. Othonis, & Othoboni

bóni in hoc regno Sedis Apostolicæ Legatorum editas, ut dignitates, uel officia, Decanatus, uel Archidiaconatus, siue prouentus ex iurisdictionis spiritualis exercitio prouenientes, nullo modo locentur, seu dentur ad firmam, innouamus; utque ab omnibus sub pœnis in eis contentis obseruentur, præcipimus. Addimus etiam, ut reliqua beneficia ultra anni spatium sine ulla innouationis spe ad locationem, seu firmam concedere nemini liceat, præter Ordinarii consensum: quem is non ante præstabit, quàm, quibus personis, & ob quam causam huiusmodi concessiones fiant, diligenter cognouerit.

DECRETVM XI.

Vt in cathedralibus certus initiatorum numerus educetur, ex quo, tanquam ex seminario, eligi possint, qui digne Ecclesiis præficiantur.

**CVM** magna sit hoc tempore ecclesiasticarum personarum penuria, præsertim idonearum, quæ Ecclesiis, seu ecclesiasticis muneribus uel præficiantur, uel inseruiant; atque huic incommodo nulla ratione magis occurri possit, quàm si soboles quædam, & tanquam seminarium ministrorum saltem in cathedralibus Ecclesiis instituantur, & conferuetur: hac eadem Synodo approbante statuimus, & decernimus, ut singulæ metropolitanæ, & cathedrales huius regni Ecclesiæ, pro cuiusque censu, & facultatibus, proq; diœcesis amplitudine, certum numerum puerorum alere teneantur.

In

## R E F O R M A T I O

In hunc uero qui cooptandi erunt, annos sint minimum undecim, uel duodecim nati; qui & legere sciant, & scribere; & quorum indoles, ac uoluntas certiores spem afferat, eos sacerdotes futuros, & ecclesiasticis muneribus perpetuo inferuituros.

Pauperum autem filios præcipue eligi uolumus, neque tamen ditiorum excludimus, modo studium præferant Deo & Ecclesiæ inferuendi. Hi primum grammaticam discant: post, in ipsam metropolitanam, siue cathedralem Ecclesiam adsciti, sub cancellario Ecclesiæ, aut alio docto, & graui uiro, qui ad hoc munus delectus sit, in ecclesiastica doctrina, & disciplina erudiantur. Horum classes instituentur duæ, altera prouectionum ætate, & litteris, quos Acolytos esse uolumus, quibus, præter uictum, & togam, quã liberalem uocant, mercedis etiam aliquid in singulos annos attribuetur: altera iuniorum, quibus toga, & mensa tantum dabitur. Vniuersi autem tam prioris classis, quàm posterioris, tonsura, & habitu clericali, eademque uiuendi ratione utentur, & diuinis in Ecclesia officiis oportune inferuent. Porro ex Acolytorum classe quicumque ad ætatem legitimã peruenerint, & in moribus, atque in litteris profecerint, sacris ordinibus initiabuntur, & ipsi cathedrali, seu metropolitanæ Ecclesiæ, in quocunque ministerio Episcopo, & Capitulo cõmodum uidebitur, operam suam nauabunt: atque his ut pro cuiusque merito beneficium aliquod ecclesiasticum deferratur, ipse Episcopus, & Capitulum curabit. In eorum autem locum, qui ex Acolytorum classe ad ordines sacros, & maiora Ecclesiæ munera adsciscantur, substituendi erunt, qui ex classe inferiori moribus, ætate, ac litteris

litteris proxime accedant . Ad scholam grammaticæ , & alia commoda , discendi causa , admittantur alii etiam ciuitatis & diœcesis pueri : qui tamen sint honeste educati , & bonis moribus præditi : quibus eodem uestitu , quo ceteris , qui ab Ecclesia alentur , utendum erit , atque eodem modo uiuendum . Ex his autem , qui maxime idoneus erit , & Ecclesiæ inseruiendi uoluntatē præferet , in eius locum sufficietur , qui ex clericorum numero desiderabitur . Et quia , ad hanc puerorum sobolem alendam , necesse est , ut , quoad certa dos ex redditibus beneficiorum , quæ deinceps uacauerint , huic tam pio operi in perpetuum assignandorum , seu quo alio modo erit constituta , quod breui factum iri speramus , census aliquis annuus ad tempus prouideatur , qui tam puerorum uictui , quàm præceptorum stipendiis sufficere possit ; statuimus , ut Archiepiscopi , & Episcopi omnes fructuum annuorū , quos ex prouentibus Episcopatum suorum percipiunt , deductis decimis , subsidiis , & feudis , quadragesimam partem cum ad ipsos pueros alendos , tum etiam ad mercedem soluendam magistris , qui eos in grammatica , & ecclesiastica doctrina & disciplina erudient , in singulos annos pendant . quod item ab omnibus , qui præbendas , uel beneficia quæcunque ecclesiastica aut iam obtinent , aut posthac obtinebunt , fieri uolumus , ac iubemus , ut scilicet ex fructibus beneficiorū suorum , quæ uel singula , uel plura simul , decimis , subsidiis , & feudis , ut præfertur , deductis , ad annum censum uiginti librarum ascendant , partem quadragesimā ad hos ipsos usus in ea diœcesi , in qua beneficia obtinent , quotannis persoluant . id quod eos , licet aliis multis oneribus grauatos , pro sua  
tamen



## R E F O R M A T I O

tamen erga Deum pietate, & in eius Ecclesiam, quæ nunc ministrorum idoneorum penuria magnopere deformatur, officio, & studio haud grauatim facturos esse confidimus. Præterea statuimus, ut Episcopus simul cum Decano, & Capitulo cathedralis Ecclesiæ huius puerorum scholæ curam gerant; certisque hominibus negotium dent, ut hunc censum ab omnibus iis, qui soluere tenebuntur, in terminis, & locis, ac sub censuris, & pœnis, eorundem Episcopi, & Capituli arbitrio statuendis, exigant. Reliqua uero, quæ ad hanc scholam bene ac feliciter administrandâ, tuendamq; erunt statuenda, quæ multa adhuc restant, in proxima conuocatione, Deo fauente, prouidebuntur.

Cum autem ad sanam doctrinam, & bonos mores conseruandos maxime conducatur, ut erudiendæ iuuentuti magistri rectitudine fidei, honestate uitæ, & eruditione cômendabiles præficiantur: iccirco statuimus, ut ne quis ulli scholæ in quocunque loco magister præficiatur, aut quoq; modo libet munus docendi suscipiat, nisi prius a loci Ordinario diligenter examinatus, ac probatus fuerit, deq; iis libris admonitus, qui in scholis tam ad eruditionem, quàm ad excolendos iuuentutis mores legendi sunt. Qui uero huic decreto non paruierit, sententiam excommunicationis incurrat, & munere docendi ad triennium prohibeatur. Eorum autem, qui iam scholis præfecti sunt, fides, mores, & doctrina sedulo examinentur: & si tales reperti fuerint, quales in præsentī constitutione requirimus, confirmentur, & de omnibus supradictis admonentur: sin aliter, eos amoueri, & in eorum locum alios idoneos suffici mandamus.

Decretum

## DECRETVM XII.

## De uisitatione Ecclesiarum.

CVM Ecclesiarum uisitatio ad uitia, & abusus tollendos, ac rursus ad bonos mores inducendos, ac legum ecclesiasticarum uim & usum retinendum non solum utilis, uerum etiam necessaria sit; cum præsentis Synodi approbatione statuimus, ut Episcopi, & alii locorum Ordinarii diœceses, & loca sibi commissa, iuxta antiquam huius regni consuetudinem, singulis trienniis per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, sin minus, per idoneos substitutos cum omni pietatis & caritatis zelo uisitare non omitant.

In primis autem monemus omnes uisitatores, ut in uisitationibus ipsis secum eos tantum ducant, quorum opera necessario indigeant, & illos quidem tales, qui ceteris honestatis & probitatis exemplo esse possint; utq; ad uictum mediocri sumptu sint contenti; atque uisitationem, quàm celerrime fieri possit, expediant; nec frustra alienis expensis tempus conterant.

Hoc autẽ ordine uisitatio instituenda erit, ut primum ciuitas, deinde diœcesis, nisi forte aliter aliqua exigat necessitas, uisitetur. In ciuitate uero a cathedrali Ecclesia inchoandum: deinde ad singulas collegiatas, postremo ad parochiales transeundum est: ubi non solum parochi, sed ceteri etiam, si qui in parochiis commorantur, sacerdotes, & clerici euocentur. Visitandæ etiam sunt scholæ, & bibliothecæ, ac demum hospitalia diligenter perlustranda.

In uisitatione Episcopi uerbum Dei proponent: sacramentum

G

## REFORMATIO

cramentum chrismatis, seu confirmationem conferent. Item, uel ipsi per se, uel alios, per eos ad eam rem delectos, in casibus sibi reseruatis, pænitentia salutari imposita, beneficium absolutionis iis, qui eo indigerint, & illud humiliter petierint, impendent; ad idque omnes paterno caritatis affectu inuitabunt, atque hortabuntur.

In locis uisitandis deligantur in primis uiri probi, bonæ existimationis, & graues, quattuor, aut quinque, plures ue pro cleri & plebis multitudine, qui uitam, ac mores tam laicorū, quàm clericorum probe nouerint: iiq; etiam iureiurando astringantur, ut libere, omniq; humano affectu remoto, ea indicent; &, nisi probent ea, quæ deferant, reiiciantur.

In singularum autem parochialium ecclesiarum uisitatione infra scripta omnia sedulo inuestiganda sunt, atque inspicienda: an sacramenta munde, ac tuto custodiantur, suoque tempore renouentur; an rite, recteq; administrantur: an sanctissimum Christi corpus ad ægrotos honorifice, ac deuote cum luminibus, tintinnabulo, & ceteris, quæ mos est adhiberi, deferatur: an matrimonia licite, & in ecclesia reuerenter, proclamationibus præcedentibus, & tempore non interdicto contrahantur: an ipsi parochi habeant libros, in quibus nomina eorum, qui baptizantur, cum compatribus, itemq; defunctorum, & matrimonia contrahentium describantur. Ecclesiæ autē, & altaria, si non sint consecrata, consecrentur; si polluta, reconcilientur. omnia in ecclesia munda, ac decentia, & tuta sint. Coemeterium claudatur, ne bestia ingredi possint, ne ue quo alio modo foedetur. Si ecclesia, chorus, campanile,

nile, sacristia, uel domus reparatione indigeat; iis mādatur, ad quos ea res pertinet, ut, quæ reparanda sint, pro facultatibus ecclesiæ, seu parochiæ reparent, atque refarciant. Præterea, inspiciendum est, an omnia suppetant, quæ ad altaris ministerium, & ad officia diuina sunt necessaria, calices, patenæ, corporalia, uestes, libri, & reliqua: an Missæ, & alia diuina officia non solum rite, & recte, sed etiam pie, ac deuote celebrentur: an sit unus saltem clericus, qui Missæ cum mundo ac decenti superpellicio inseruiat: an libri, & scripturæ antiquæ, aliaque instrumenta, & priuilegia ecclesiæ diligenter asseruentur.

His omnibus accurate inspectis, quæ ad ecclesiam pertinent, proximum erit, ut de ministris ecclesiæ, & aliorum clericorum quærat: Ac primum, an rite, & recte sint ordinati: an in ordinibus muneri suo conuenientibus constituti. Tum de ecclesiarum, seu beneficiorum titulis cognoscendum: an aliqui se intruserint: an incôpatibilia sine sufficienti dispensatione teneant: an resideant, & officio sibi commisso, tam quoad sacramenta administranda, quàm quoad Missas, & alia diuina officia celebranda, & anniuersariis perfoluendis, aliisque oneribus sibi impositis satisfaciant: an ecclesias proprias, ut alienis inseruiant, maxime festis diebus derelinquant: an populum salutari diuini uerbi cibo diligenter pascant, & pueros prima fidei rudimenta doceant: an libros ad hæc, & alia, quæ ad officium curati spectant, necessarios habeant. De eorum uita, moribus, habitu, conuersatione, familia inquirendum: an opera uilia, & ipsis non permissa exerçant: an in tabernis, aliis uel locis non conuenientibus uersentur: an

G ii bona

## R E F O R M A T I O

bona Ecclesiæ, & iura tueantur: an egentibus subueniant: an sint pacifici, & ad tollendas inimicitias, atque odia diligentes.

Postremo ad disciplinam populi erit ueniendum, aduertendumq; an in populo hæretici sint, an inconfessi, an usurarii, an concubinarij, alij ue, qui in peccatis uiuant, & infordefcant: an inter aliquos odia, & inimicitia intercedant: an sint, qui quadragesimam, alia ue ieiunia, festa, & reliquos laudabiles Ecclesiæ ritus non obseruent. Atque in licentijs Apostolica, alia ue legitima auctoritate concessis comedendi carnes, oua, & lactinia tempore prohibito, siue quid aliquid agendi præter constitutiones & morem Ecclesiæ, inspiciendum erit, an causæ expressæ, & alia narrata sint uera, & an ipsius concessionis forma seruata. Præterea, quærendū, an legata pia sint, quæ executioni non mandentur: an populus deuote in Ecclesia uersetur, & integram Misericordiam attente reuerenterq; audiat: an inter diuina officia fiant deambulationes: an patres familias liberos, & domum honeste, & pie instituant, & gubernent.

Si sint hospitalia, quo modo regantur: an eorum bona in pauperum usus fideliter dispensentur: an sancte, & pie in eis uiuatur.

Si scholæ, de magistris quærendum, quos libros interpretentur, an recte officio suo fungantur. Simulque prouidendum erit, ne quis, ut præsentì Synodo constitutū est, ad docendum admittatur, nisi prius ab Episcopo probatus fuerit: &, si quis idoneus non sit, amoueat.

De bibliothecis inquirendum, an sint in eis, uendantur ue libri hæretici, aut aliter de iure prohibiti.

Si

Si Ecclesiæ habeant Capitula, seu Collegia, animaduertatur, an, qui dignitates, & præbendas in eis obtinent, tam in diuinis horis debite & deuote celebrandis, quàm ceteris in rebus, quæ ipsis incumbunt, præstandis, muneri suo satisfaciant.

His ita perspectis, & cognitis, uisitor, quæ recte se habebunt, laudabit; quæ secus, reprehendet; eaque uti corrigantur, atque emendentur, per censuras, & aliâ iuris remedia, si opus fuerit, curabit: monebit autem omnes, ut officiû sibi cõmissum diligenter exequantur.

Metropolitani in suarum uisitatione prouinciarum ordinem a se. re. Innocentio Papa IIII. in cõstitutione, quæ incipit, Romana Ecclesia, seruabunt, & inter aliâ de his diligenter inquirent, an Episcopi resideant in suis diocæsisibus: an prædicent uerbum Dei: an ita uiuant, ut eos decet: quemadmodum se gerant in ordinibus, & beneficiis conferendis, deputandis confessoribus, excessibus eorum, qui suæ sunt iurisdictionis, puniendis, in uisitatione diocæsum, ceterisq; ad officium Episcopale, ac iurisdictionem, & administrationem in spiritualibus & temporalibus quo modo libet spectantibus; denique, an generales canones, & ecclesiastica huius regni instituta obseruent: et, si quæ corrigenda erunt, quæ corrigi tum possint; corrigent: sin minus, ad Synodum prouincialem referent: uerum, si quid huiusmodi erit, ad quod corrigendum, ac reformandû maiori auctoritate opus esse uideatur, tum ad Sedem Apostolicam recurrent.

Archidiaconi partem diocæsis, curæ, ac fidei suæ creditam, in iis, quæ ad eos pertinent, secundum præscriptam formam uisitent: grauiora, &, quæ per eos emendari

## R E F O R M A T I O

emendari non possint, ad Episcopos referant. Operam autem dabunt, ut ea, quæ in uisitatione per Episcopum statuta, ac mandata sint, perficiantur: ac de iis, quæ perfecta fuerint, aut non perfecta, simulq; de causis, quæ eorum executionem impediunt, Episcopum statim admonebunt. Atque, ut iidem Archidiaconi, qui Episcoporum oculi appellantur, quod officii sui, & muneris est, tam in uisitationibus, quàm ceteris in rebus diligenter præsent; cõstitutiones prouinciales, ac bo. me. Othonis, & Othoboni, Sedis Apostolicæ in hoc regno Legatorũ, hac de re pie, ac prouide editas, cũ præsentis Synodi approbatione innouamus, easq; omnino obseruari præcipimus. Præterea cõstitutioni præfati Othoboni, qua præter cetera cauetur, ne Archidiaconi ob crimẽ manifestum a subditis pecunias accipiãt, sed illud digna animaduersione puniãt; hoc amplius addimus, atque statuimus, ut, si quis contra id facere audeat, pœna dupli eius, quod acceperit, per dioecesanum Episcopum multetur; eaque pecunia in utilitatẽ mensæ scholarium, in ecclesiã cathedrali erectæ, uel erigendæ, cõuertatur.

Vt autem ecclesiarum Prælati officium correctionis, & reformationis eorum, qui suæ iurisdictioni subsunt, libere exercere possint, cõstitutionẽ fe. re. Innocentii Papæ III. in Concilio generali editã, qua statuit, ut iidẽ Prælati suæ iurisdictioni subditorũ excessus, appellatione remota, uel cõsuetudine nõ obstantẽ, corrigant, & reforment, innouamus, & ab omnibus hic obseruari præcipimus. Datũ Lambethi, prope Londinum Vintoniensis dioecesis, M. D. L. VI. III. idus Febr. Finis.

Erratum pag. 6, b. 13. Terræ primatum, pro, tenere primatum.